



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv
Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lvgdvni, 1659**

V. De debito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

C A P V T V.

De debito coniugum.

50. **S**ic ex sponsalibus & Matrimonio mutua redditionis consurgere obligationem, ipsumque coniugalem actum ex se licitum esse, & absque culpa exerceri posse. Rogo num redditio hec obligatoria sit? In præcepto quidem est, siue expressè, siue tacite petitio fiat.

51. **P**otest ne coniux adhibere medicamina, ut sese debiti reddendi impotentem reddat? Non potest absque culpa lethali illicitis mediis se coniux impotentem ad debitum soluendum efficere. Ieiunia tamen & alia ex deuotione moderatè, & prudenter obseruare potest.

52. **E**xhibeas precor regulam ad cognoscendum, quandonam alter petendo peccare possit, alter vero reddendo non delinquit? Si petere peccatum est ob circumstantiam personalem tantum, non est peccatum reddere, v.g. in habente votum castitatis, & reddente. Si vero peccatum sit petere ob ipsius actus circumstantiam, tunc etiam reddere peccatum erit.

53. **C**oniugum alias exprime obligationes. Ad cohabitandum tenentur, eademque mensa, & lecto saltem ut plurimum, regulariter vti, nisi ex iusta causa excusentur; ad idque possunt Censuris adigi. Præterea coniugalis actus bonus est si ob prolem fiat, vel ad debitum reddendum; ob alios fines veniale non excedit, v.g. ob delectationem, sanitatem, & similes.

54. **N**um dies festus, aut Communio usum coniugij prohibeat? Dies minimè, Eucharistia autem sumenda illum quidem non vetat ex præcepto, sed admonet abstinentiam ex consilio.

55. **A**n sacro in loco licitus sit actus coniugij? Sacer locus sub mortali respuit huiusmodi actum, extra casum necessitatis.

56. **N**um delictum in modo? Modus quidem dummodo debitum vas seruetur, raro mortale saltem peccatum inducit.

57. **E**st ne copula simul complenda? Si possit, complenda esset simul; si non possit, alteri expectandum, dum perficit alter, non autem est necesse.

58. **Q**uid si vir incidat in impotentiam? Si in eam incidit impotentiam, vt intra vas non valeat seminare, debet abstinere ab actu maritali. Si sit complendi spes, conan-

866 Moral. Theologiae Tract. VII. Sacraenta,
do non delinquit; quia tunc accidentaliter extravas pro-
fundit.

59. *Potest ne coniux desistere à copula incepta?* Vir qui-
dem absque causa non potest, donec perficiat, si fœmina
perficit.

60. *Menstruane, aut prægnatio impediunt à copula?* Men-
strua minime. Prægnatio autem fœminæ tunc, quando pe-
riculum abortus timeretur, aut damnum graue fortui ob-
ueniret, aut manifestum periculum effusionis semenis in-
staret. Profectò cum propriæ salutis damno nemo reddere
tenetur.

61. *Coniux impedimenti alicuius conscientia est.* Nec petere,
nec reddere potest. *Dubius est solunmodi.* Reddat tantum, &
post adhibitam diligentiam perat etiam.

62. *Quid si Matrimonio ex copula cum consanguinea affini-
tas superueniat?* Intra gradum secundum non petat, nisi prius
dispensetur.

63. *Licent ne tactus venerei inter coniuges?* Si referuntur ad
copulam, liciti sunt. Si ad maiorem voluptatem capienda,
veniales. Si ad pollutionem extra vas, vel cum illius mortali
periculo, mortales sunt.

64. *An liceant sponsis aliqui tactus?* Oscula, aliquique honesti
tactus licent, alios prohibitos esse affirmo.

C A P V T VI.

De impedimentis dirimentibus.

§. I.
Impedi-
menta
dirimē-
tia.

65. *S*ic solius Ecclesiastici Principis munus esse Matrimonii
quæ Sacramentum est, impedimenta statuere, ad que quā-
dem iusta causa requiritur; huiusmodi potestatem sibi soli ex
generali consuetudine Papam reservasse, mortalemque culpan
esse, cum dirimente impedimento contrahere. Rogo quoniam
sit impedimentum? Duplex equidem, & impediens, & di-
rimens; illud impedit ne Matrimonium fiat, hoc factum
relaxat.

66. *Quot sunt impedimenta dirimentia?* Iuxta ius anti-
quum sunt duodecim: iuxta nouum autem quatuordecim
blice carminibus vulgariter expressæ.

Error, Condicio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disperitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.